



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesius**

**Sammieli, 1613**

De Amplitudine Charitatis erga proximu[m] & de schismate cap. 10. & 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

minum ipsum rebus omnibus anteponere, ac super omnia amare alioquin peccant mortaliter. S. Thom. 1. 2. q. 89. 6. quæ sententia probabilis est, & securius est ita facere. Aliud tempus est quando conteri tenemur ratione aut periculi mortis, aut Sacramenti suscipiendi, vel ministrandi, & deest confessarius. Quod vero aliqui addunt etiam nos ad id teneri quando vel recipimus magnum aliquod beneficium à Deo, vel aggredi debemus opus aliquod arduum. Salubre tantum consilium est, non præceptum.

*De amplitudine charitatis, erga proximum, & de schismate.*

Cap. 10. & 11.

**P**roximi omnes illi dicuntur, qui nobiscum participes esse possunt eiusdem finis beatifici & hi sunt omnes homines in

hac

hac vita degentes, etiam peccatores, inimici, & infideles, qui quidem omnes ex charitate sunt diligendi quo ad quatuor. \* Primò, quo ad vltimū finem, quem omnibus velle debemus. \* Secundo. Quantum ad spirituale gratiæ, & fidei bonum, quatenus cuiusmodi bona debemus omnibus velle & curare salutem ipsorum etiam cū dispendio vitæ propriæ in extrema necessitate spirituali illorum: & extra necessitatem, quando id possumus sine notabili damno nostro. \* Tertio. Quantum ad vitam corporalem, vt non solum eam illis cupiamus, sed etiam conseruare studeamus, si possumus sine nostro notabili damno, vt de elemosyna infra dicitur; Tract. de pec. mortal. c. 33. \* Quarto. Quo ad officia communia, quæ aliis hominibus exhibere debemus. Vnde quando inimicus in eadē cū aliis ratione conuenit, non

sunt ei communia beneficia subtrahenda : vt si manet in eadem domo, vel in eodem collegio, alioquin & saluare ipsum debemus, si ante inimicitiam salutabamus. Peculiariora autem beneficia, quae solent amicis exhiberi, vt sunt familiares colloquutiones, nemo tenetur exhibere inimicis, licet antea exhibuisset, modo nullum inde scandalum oriatur. Inimicis praeterea nostris iniuriam remittere tenemur quantum ad odium, & malivolitionem, sed non quantum ad debitam satisfactionem, & rectae iustitiae poenam, quinimo ratione peccatorum possumus eos odio habere, cum Propheta dicit: Iniquos odio habui: & malum poenae alicui desiderare ob spiritualem emendationem, atque etiam mortem ob aliorum boni, aut iustitiae zelum. \* Schisma est rebellis, & spontanea separatio ab vnitatem Ecclesiae, & quando inte-

rius cōmittitur absque opere exteriori, aut verbo, est peccatum mortale, sed nulli censurę subest: quando est cum errore in intellectu, ita quod Ecclesię, vel Papę non credatur, habet adiunctam hęresim & pœnis dictis subest.

*De primo Decalogi præcepto.*  
Cap. 12.

**D**ecem Decalogi præcepta in duabus tabulis Moysis, digito Dei scripta fuerunt: quorum prima tria, quę in prima erant Tabula, ad Dei cultum pertinent. Alia septem in secunda: ad utilitatem proximi spectant omnium tamen transgressio est mortalis, nisi leuitas materię, vel defectus deliberationis, vt in repentinis, vel defectus pleni rationis vsus vt in semidormientibus pollutis, planè excuset. Illud tamē certū est

hæc præcepta obligare omnes homines ad actum inclusum in præcepto, sed non ad finem præcepti, qui est charitas. Vetitum enim est hominem occidere, sed non ex charitate non occidere. In hoc primo præcepto vnius Dei cultus, & adoratio iubetur, in qua tres inveniuntur actus. Primus est actus intellectus, quo Dei excellentiam, & dominationem eius cognoscimus. \* Secundus est actus voluntatis, quo nos ei subiicimus, & est ipsa adoratio. \* Tertius est actus exterior, quo talem subiectionem humilibus obsequiis, genuflexionibus, capitis inclinationibus, vel detractionibus, spontè demonstramus: & hic est effectus adorationis quæ adoratio maximè in missæ sacrificio elucet, quod soli Deo debetur.

*De Blasphemia, & Impietate.*  
Cap. 13.